

advocatus suscipit patrocinium accusatoris in causa injusta. Duæ tamen difficultates supersunt a nobis explicandæ circa præfatam doctrinam, utrum videlicet irregularitas, quam incurrit advocatus in casu secundi, et tertii dicti sit irregularitas homicidii voluntarii; an casualis. Et utrum quando advocatus solum fert patrocinium in favorem rei in casu primæ conclusionis, et sequitur mors, aut mutilatio accusatoris saltem per accidens, an tunc incurrat irregularitatem homicidii casualis.

IX. Dico igitur quarto: In casu secundæ conclusionis irregularitas illa est irregularitas homicidii voluntarii; in casu vero tertie conclusionis est irregularitas homicidii casualis. Prima pars hujus dicti probatur, quia tunc advocatus improbando accusatorem, sive ei calumniam inferendo, intendit per se, et directe damnum illius, vel saltem tale patrocinium ex natura sua ad damnum, seu mortem accusatoris dirigitur; ergo mors subsecuta est per se volita, sive voluntaria ipsi advocato. Secunda autem pars probatur, quia patrocinium tunc nec ex intentione advocati (ut supponimus) nec etiam ex natura sua ordinatur ad mortem, aut mutilationem accusatoris, ut constat; ergo non habet rationem homicidii voluntarii secundum juris dispositionem, sed casualis, cum nec per se comparetur ad intentionem advocati, nec ad ejus patrocinium.

X. Dico ultimo ad secundam difficultatem: Etiam si ex vi legis inseparabilis sit mutilatio, aut mors accusatoris a justa et efficaci defensione rei, advocatus tamen efficaciter defendens reum non incurrit irregularitatem, nec homicidii voluntarii nec casualis. Ista conclusio dependet ex dicendis a nobis disputatione sequenti. Probatur tamen

nunc breviter, quia talis mors, aut mutilatio sequitur omnino per accidens ad patrocinium advocati, qui alias etiam etiam dat operam rei licitæ, utpote in causa justa: ergo, etc.

ARTICULUS IV.

Utrum accusator in causa sanguinis maneat irregularis subsecuta morte, aut mutilatione accusati?

I. Videtur quod sic, quia accusator non solum est causa mortis subsecutæ, verum inter præcipuas causas numeratur; ergo manet irregularis. In contrarium tamen est, quia experientia constat plures accusare in causa sanguinis absque metu irregularitatis. In hac difficultate duo sunt supponenda tamquam certa. Primum est, quod accusator in causa sanguinis morte subsecuta, si nullam fecit protestationem, manet irregularis, et hoc convincit ratio dubitandi proposita: secundum est, quod ex juris dispositione accusator in causa sanguinis, etiam morte subsecuta, si duo efficiat in ipsa accusatione, non manet irregularis: quorum primum est, si petat sibi fieri emendam malefactoris accusari, et provideri ne de cætero talia delicta præsumantur contra ipsum malefactorem accusatum. Et secundum est, quod expresse protestetur se vindictam, seu pœnam sanguinis non intendere. Quæ duo expresse præcipiuntur fieri in capite Prælati, quod est secundum caput de homicidio in sexto, lect. v, tit. iv, ubi habetur sic: « Prælati, vel clericis quibuscumque de laicis suis malefactoribus querelam penes sæcularem judicem deponentes petant emendam sibi fieri, et provideri ne de cætero talia contra ipsos præsumantur, expresse protestando quod

ad vindictam, vel pœnam sanguinis non intendunt, non imputatur illis, quamvis alias in tali casu de jure debeat pœna sanguinis irrogari, si judex mortem illis inferat justitia exigente. » Et quamvis concessio hujus capitis solum visa sit fieri prælati, et clericis, nihilominus ut in decursu videbimus, extenditur ad alios.

II. Dico igitur primo: Consultius, et probabilius est protestationem præfatam in illo capite debere fieri in ipsa accusatione, quamvis oppositum hujus sit etiam probabile, videlicet sufficere, ut fiat ante mortem, vel mutilationem accusati. Probatur primo secunda pars hujus conclusionis, quia illa protestatio, quæ ponitur tamquam gravamen, non præcipitur ibi fieri pro certo, et determinato tempore; ergo sufficit ut fiat ante mortem subsecutam, quia jus nihil aliud exposcit. Prima tamen pars conclusionis a nobis tenenda, videtur colligi ex ipso contextu, dum dicit: « Deponentes querelam expresse protestando, » quasi per hoc intendat, quod in ipsa querelæ depositione debeat fieri protestatio. Item etiam, quia accusatio ipsa, et alia acta accusatoris contra reum in causa criminali ex natura sua, et per se ordinantur ad causam sanguinis, et verum habent influxum in mortem subsecutam; sed per protestationem factam paulo ante mortem non impeditur influxus, neque tollitur indecentia, quæ jam præhabetur in ipsa accusatione facta; ergo ut impediatur influxus ipsius accusationis, eo modo quo impediri potest, et ut tollatur indecentia ipsius in ordine ad mortem subsecutam, necessum est quod fiat statim protestatio, quasi determinativa ipsius accusationis.

III. Dico secundo: Probabilius est, et nobis tenendum, quod etiam si accusator posset alia via satis-

factionem comparare, sine accusatione coram iudice, potest tamen absque periculo irregularitatis incurrendæ accusare reum cum tali protestatione. Oppositum hujus conclusionis tenent aliqui auctores, quos refert Suarez in illa disputatione XLVII, sect. II, sed tamen nostra conclusio est communior doctrina. Et ratio est, quia talis facultas accusandi cum præfata protestatione conceditur absolute clericis absque limitatione aliqua, nec restringendo talem concessionem ad casum necessitatis. Et deinde, quia talis accusatio non solum ordinatur ad satisfactionem ipsius accusatoris, sed etiam ut provideatur a iudice, ne de cætero talia contra clericos fieri præsumantur; ergo non solum propter satisfactionem, sed ut in futurum etiam provideatur, potest quis licite accusare in causa sanguinis, etiam si satisfactionem sibi alia via posset comparare.

IV. Dico tertio: Quamvis accusator sciat pœnam mortis esse infallibiliter infligendam secundum legem, potest nihilominus cum tali protestatione accusare malefactorem absque periculo irregularitatis. Oppositum hujus tenent nonnulli, quos refert Suarez ibidem; sed tamen probatur nostra conclusio. Et ratio ejus colligitur ex ipso contextu in illis verbis: « Quamvis alias in tali casu de jure debeat pœna sanguinis irrogari. » Quando autem in aliquo delicto a jure est determinata pœna in illo casu, si delictum sufficienter probetur; ergo non obstante tali infallibilitate mortis subsequendæ, determinat jus posse fieri præfatam accusationem sine periculo irregularitatis.

V. Dico quarto: Quamvis mors non esset promerita pro delicto malefactoris, judex tamen sua iniquitate, et malitia non servato ordine

juris facit occidi accusatum malefactorem, adhuc nihilominus accusans cum illa protestatione non incurrit irregularitatem. Ista conclusio ponitur a nobis occasione illius particulæ justitia exigente, quæ quidem particula non apponitur tamquam necessaria limitatio ad hoc, ut irregularitas non incuratur, sed solum intendit legislator, quod etiam si accusator petat satisfactionem sibi fieri, quæ secundum ordinem juris fieri non potest sine pœna sanguinis, adhuc accusator non incurrit irregularitatem. Ex quo a fortiori sequitur, quod multo minus incurrit illam si secundum ordinem juris non esset imponenda pœna sanguinis, sed solum imponatur iniquitate judicis. Et hæc eadem ratione ostendimus articulo tertio non incurrere irregularitatem illos, qui delegando jurisdictionem, postea judices delegati, aut subdelegati occidunt contra justitiam aliquos.

VI. Sed contra determinationem hujus capituli potest esse objectio: Nam in illo conceditur facultas, ut accusator petat emendam in futurum, quæ sæpius fieri non potest, nisi occidatur malefactor, qui aliter non emendabitur; ergo accusatores sic petentes emendam, subinde petunt mortem malefactoris. Respondetur tamen negando consequentiam, quia (ut diximus in illo articulo tertio) datur medium inter ista duo, et illud est, petere ut fiat justitia, et prospiciatur bono communi, cætera relinquendo arbitrio judicis sæcularis. Difficultas tamen prima est circa istud caput, an facultas accusandi sic concessa in illo clericis et prælatis extendatur ad laicos.

VII. Dico quinto: Secundum omnis sententiam certum est talem facultatem ad laicos extendi. Cujus ratio est duplex. Prima, quia cum determinatio illa juris sit favorabilis ad vitandam irregularitatem, ex-

tendenda est etiam ad laicos, quia in illis eadem prorsus ratio reperitur: secunda ratio, et confirmatio præcedentis est, quia multo major indecensia reperitur in clerico accusatore, quam laico; ergo si ex benignitate, et favore juris excusantur clerici ab irregularitate cum illa protestatione; a fortiori ex illa dispositione excusari debent laici. Secunda difficultas huic annexa est, an hæc protestatio sit etiam necessaria laicis accusantibus alios in causa sanguinis. Et videtur quod non, quia obligatio ad protestationem faciendam est gravamen, ac proinde odiosum, et ideo restringendum ad solos prælatos et clericos, nec extendendam ad laicos.

VIII. Dico sexto: Ante determinationem illius capituli, quilibet sive clericus, sive laicus accusans, nulla facta protestatione, manebat irregularis. Hæc conclusio est certissima, et constat manifesta ratione, quia cum talis accusatio influat in mortem subsecutam, debet secundum generalem dispositionem juris incurri irregularitas; et ex alia parte non erat speciale jus ante istud caput excusans ab irregularitate in tali casu; ergo.

IX. Dico septimo: Ante determinationem illius capituli quilibet accusator, sive clericus, sive laicus, etiam facta protestatione manebit irregularis. Probatur conclusio, quia ante determinationem illius capituli nulla facta protestatione incurrebatur irregularitas, sed protestatio illa ante determinationem capituli erat nullius momenti ad vitandam irregularitatem; ergo. Minor in qua est difficultas probatur, quia protestatio illa ex sua propria ratione non habet impedire influxum ipsius accusationis in ordine ad mortem subsequendam, eo quod accusatio illa per se, et ex sua ratione habet influere in mortem; ergo per hoc

quod accusans dicat se non habere intentionem vindictæ, nec pœnæ sanguinis, non impeditur effectus, qui per se sequitur ad illam causam; quin potius, etiamsi de facto intentionem vindictæ non habeat, talis intentio non est efficax, sed inefficax; qui enim vult causam per se alicujus effectus, vult consequenter effectum subsecutum ad illam causam.

X. In quo maxime differt hæc protestatio ab intercessione illa qua ecclesiastici judices tradentes aliquem brachio sæculari morte puniendum intercedunt pro ipsa, quia (ut diximus articulo tertio) talis traditio non est positiva actio influens in mortem subsecutam; unde intercessio illa non est simpliciter necessaria. Cæterum hæc protestatio solum ex juris benignitate habet non quidem impedire effectum accusationis, quia hoc est impossibile, sed excusare ab irregularitate, quia cum irregularitas solum inducatur ex juris dispositione, ex eadem excusatur quis ab irregularitate, quamvis accusatio per se influat in mortem subsecutam.

XI. Dico octavo: Hæc protestatio post determinationem illius capituli ita est necessaria laicis sicuti et clericis. Itaque si laicus accusans in causa sanguinis non faciat illam protestationem, manet irregularis morte subsecuta. Conclusio ista sequitur necessario ex præcedenti, et ex ejus probatione. Nam si hæc protestatio solum ex juris benignitate habet excusare ab irregularitate, qui talem protestationem non facit in accusatione, non erit unde excusari possit ab irregularitate. Confirmatur, quoniam sicut concessio ista juris favorabilis est, et idcirco extendenda ad laicos, in quibus reperitur eadem ratio, ita consimiliter quidquid gravaminis reperitur in illa ad eosdem etiam extenden-

dum est, nam qui sentit commodum debet etiam et damnum sentire. Et per hoc patet ad rationem dubitandi in oppositum.

XII. Tertia difficultas est circa illam particulam præfati capituli, videlicet de laicis suis malefactoribus, an possit absque periculo irregularitatis clericus, sive laicus accusare non suos in causa sanguinis non sua, sed aliena. Et ratio dubitandi desumitur ex ipso contextu dum de suis malefactoribus dicit, posse fieri accusationem. Et insuper ex verbis subsequentibus, videlicet petant emendam, id est, satisfactionem sibi fieri. Ex quo videtur colligi, quod non possit petere emendam, sive satisfactionem aliis, ac subinde in causa aliena non poterit accusare sine periculo irregularitatis. Confirmatur ex illis verbis, videlicet et provideri ne de cætero contra ipsos talia præsumantur fieri, id est, contra ipsos accusatores. Ex quo videtur satis colligi hanc concessionem non posse extendi ad accusatorem in causa aliena, nam quamvis ista concessio favorabilis sit, extendi tamen non potest extra proprietatem verborum.

XIII. In hac difficultate in primis supponendum est tamquam certum inter omnes doctores quod in causa aliena nullus sive clericus, sive laicus potest accusare, aut denuntiare absque periculo irregularitatis quando talis accusatio, sive denuntiatio non est in præcepto, sed solum est libera, etiamsi alias sit licita. Id autem in præsentem potest habere difficultatem, utrum quando accusatio, aut denuntiatio est in præcepto, et necessaria in causa aliena, accusans aut denuntians maneat irregularis. Secundo, supponenda est differentia, quæ versatur inter accusationem, et denuntiationem, quo ad præsens attinet, nam qui accusatione utitur tenetur

ad probationem criminis, de quo accusat, teneturque adhibere, et inquirere testes, et omnia alia, quæ ad convincendam causam sunt necessaria; ita quod si in probatione deficiat, punietur accusator, vel pœna talionis in aliquibus gravissimis causis, vel alia pœna in aliis. Cæterum denuntians ad hoc non tenetur, denuntiatio enim nihil aliud est, quam tradere notitiam judici de crimine, aut delinquente.

XIV. Secunda autem differentia est ex parte finis, quam tradit D. Thomas 2-2, quæstione LXVIII, articulo secundo, quod denuntiatio ordinatur ad correctionem, et emendam fratris; accusatio autem ad punitionem criminis. Ex qua duplici differentia sequitur alia in ordine ad causalitatem, seu influxum respectu mortis, aut mutilationis subsecutæ, quod accusatio proximior, et specialior causa est mortis subsecutæ, quam denuntiatio, quia denuntiatio solum est universalis et remota causa, et potius videtur quædam occasionalis causa. Tertio supponendum est, quod denuntiatio potest dupliciter fieri, uno modo de delicto sive perpetrato, sive quod timetur perpetrandum, non tamen de delinquente in particulari: alio modo potest fieri de crimine, et de ipso delinquente.

XV. Dico igitur nono: Ex hoc solum, quod denuntiatio facta sit in præcepto, non sequitur quod mors, sive mutilatio subsecuta ad denuntiationem non inducat irregularitatem, si denuntiatio sit in causa aliena. Ista conclusio est certissima, et manet probata ex dictis a nobis supra, nam occasio facta a iudice sæpe est in præcepto, et tamen ex hoc iudex non evadit irregularitatem.

XVI. Dico decimo: Licitum est denuntiare absque periculo irregularitatis incurrendæ, quando denun-

tiatio est in præcepto, et de aliquo gravissimo damno imminente proximo, vel bono communi, ad quod impediendum necessarium medium sit denuntiatio. Hanc conclusionem admittimus cum Cajetano 2-2, quæst. LXIII, art. VII, et aliis auctoribus, quos refert et sequitur Suarez tom. V, disp. XLVII, sect. II. Fundamentum autem potissimum Cajetani est, quoniam Ecclesia non potest prohibere id quod est de jure naturæ, quia sicut gratia perficit naturam, et non destruit, ita jus ecclesiasticum perficit jus naturale, et non destruit, denuntiatio autem in casu hujus conclusionis est de jure naturæ, utpote debita fieri ex præcepto naturali ad vitandum magnum damnum proximi, sive boni communis. Hæc tamen ratio sicut nimis universalis est, ita et parum efficax ad propositum, et habet manifestam instantiam, nam de jure naturæ est ut iudex occidere faciat malefactorum, præsertim nocivos bono communi, et tamen jus ecclesiasticum imponit irregularitatem judici sic occidenti. Efficax igitur probatio hujus conclusionis desumi debet ex præfato capite Prælati. Nam denuntiatio cum his circumstantiis, et conditionibus facta habet urgentiorem rationem, vel saltem eandem prorsus, quæ reperitur in accusatione, qua quis querelam deponit de suis malefactoribus; ubi autem est eadem ratio, eadem videtur esse juris dispositio.

XVII. Et hoc quidem amplius explicatur, nam in accusatione petit quis emendam, sive satisfactionem sibi fieri: in denuntiatione autem quando gravissimum imminet damnum proximi, aliquid amplius expostulat denuntians; tum, quia illud gravissimum malum adhuc imminet, et vitari potest per denuntiationem; accusator autem jam passus est malum, et injuriam, et

solum expostulat emendam; tum etiam, quia gravissimum malum impedire non est minoris, sed potius majoris momenti, quam expostulare emendam post injuriam sibi factam; ergo ex hac parte urgentior ratio, vel saltem eadem est in denuntiatione. Ratio vero alterius, quod subsequitur, videlicet quod accusator petit provideri ne de cætero contra ipsum talia præsumantur, eadem prorsus ratio est, imo urgentior.

XVIII. Dico undecimo: In casu præcedentis conclusionis facienda est expressa protestatio, non secus hac in accusatione in causa propria juxta determinationem illius capite Prælati; alias denuntians incurret irregularitatem, morte aut mutilatione subsecuta. Conclusio ista evidenter, et necessario sequitur ex præcedenti, quia si potest quis denuntiare absque periculo irregularitatis in casu præcedentis conclusionis ex hoc solum quod concessio facta in isto capite Prælati accusatori in causa propria extenditur propter eandem rationem ad denuntiationem, quæ est in præcepto in causa aliena, necessario sequitur, quod facienda sit in denuntiatione eadem expressa protestatio, quæ determinatur in eodem capite facienda in accusatione, ut evitetur irregularitas.

XIX. Dico duodecimo: Per denuntiationem de delicto perpetrando, quando sufficienter providetur malo imminente sine denuntiatione, seu detectione delinquentis, non potest fieri denuntiatio de ipso delinquente in particulari absque periculo irregularitatis. Probatur, quia in isto casu non est necessaria denuntiatio de delinquente in particulari, cum per aliam denuntiationem in communi de delicto perpetrando sufficienter provideatur; ergo in hoc casu, si fiat denuntiatio de delin-

quente in particulari, non salvatur, quod talis denuntiatio sit in præcepto, et necessaria, et consequenter non reperitur in illa denuntiatione ratio excusans ab irregularitate, sicut reperitur in accusatione in causa propria, ut diximus in decima conclusione. Confirmatur, quia denuntiatio de delinquente proximior causa, et magis specialis est in ordine ad mortem subsecutam, quam denuntiatio in communi de delicto solum; sed in accusatione, vel denuntiatione est vitanda communis causalitas, quæ vitari potest, alias incurretur irregularitas; ergo multo magis vitanda est denuntiatio de delinquente in particulari.

XX. Dico tertio decimo: Si aliquando contingat, quod accusatio sit in præcepto, et necessaria ad vitandum aliquod gravissimum malum futurum imminens, ita ut per denuntiationem non possit tali malo sufficienter provideri, tunc idem dicendum est de accusatione ista, atque de denuntiatione cum conditionibus, et limitationibus jam explicatis. Hæc conclusio est contra plures auctores. Nihilominus sequitur manifeste ex præcedenti, quia militat eadem ratio pro illa atque pro ipsis. Et notandum, quod quamvis D. Thomas quæst. LXVIII, articulo primo doceat accusationem esse aliquando in præcepto, loquitur de accusatione in ordine ad delictum jam perpetratum. Nos autem etiam ad delictum perpetrandum, et imminens loquimur in ista conclusione.

XXI. Sed inquires, an accusatori in causa propria licitum sit absque periculo irregularitatis indicare locum ubi delinquens comprehendi possit: et similiter utrum possit accusator clamare, quando delinquens fugit, ut ab aliis detineatur, et comprehendatur, et utrum ipse